

C. IULI CAESARIS BELLUM CIVILE: THE DEATH OF POMPEY

After Caesar's victory at Pharsalus in Thessaly in August 48, Pompey fled north to Macedonia, then along the southern coast of what is now Turkey, and eventually down the coast of Syria, Phoenicia, and Judaea to Egypt. No doubt he was relying on his friendship with the Egyptian court (and the services provided earlier to the father of young Ptolemy XIII). He may have intended on gathering resources in Egypt and proceeding west to join the Republican forces regrouping in North Africa under Cato and Scipio Metellus.

1 [102] Caesar omnibus rebus relictis persequendum sibi Pompeium
2 existimavit, quascumque in partes se ex fuga recepisset, ne rursus copias
3 comparare alias et bellum renovare posset, et quantumcumque itineris
4 equitatu efficere poterat, cotidie progrediebatur legionemque unam
5 minoribus itineribus subsequi iussit. Erat edictum Pompei nomine
6 Amphipoli propositum, uti omnes eius provinciae iuniores, Graeci
7 civesque Romani, iurandi causa convenienter. Sed utrum avertendae
8 suspicionis causa Pompeius proposuisset, ut quam diutissime longioris
9 fugae consilium occultaret, an ut novis dilectibus, si nemo premeret,
10 Macedoniam tenere conaretur, existimari non poterat. Ipse ad ancoram
11 unam noctem constituit et vocatis ad se Amphipoli hospitibus et pecunia ad
12 necessarios sumptus corrogata, cognito Caesaris adventu, ex eo loco
13 discessit et Mytilenas paucis diebus venit. Biduum tempestate retentus
14 navibusque aliis additis actuariis in Ciliciam atque inde Cyprum pervenit.
15 Ibi cognoscit consensu omnium Antiochenium civiumque Romanorum,
16 qui illic negotiarentur, arma capta esse excludendi sui causa nuntiosque
17 dimisso ad eos, qui se ex fuga in finitimas civitates recepisse dicerentur,
18 ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitinis periculo
19 futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui superiore anno consul fuerat, et P.
20 Lentulo consulari ac nonnullis aliis acciderat Rhodi; qui cum ex fuga
21 Pompeium sequerentur atque in insulam venissent, oppido ac portu
22 recepti non erant missisque ad eos nuntiis, ut ex his locis discederent
23 contra voluntatem suam naves solverant. Iamque de Caesaris adventu
24 fama ad civitates perferebatur.

25 [103] Quibus cognitis rebus Pompeius deposito adeundae Syriae consilio
26 pecunia societatis sublata et a quibusdam privatis sumpta et aeris magno
27 pondere ad militarem usum in naves imposito duobusque milibus
28 hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a
29 negotiatoribus coegerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos
30 existimabat, Pelusium pervenit. Ibi casu rex erat Ptolomaeus, puer aetate,
31 magnis copiis cum sorore Cleopatra bellum gerens, quam paucis ante
32 mensibus per suos propinquos atque amicos regno expulerat; castraque
33 Cleopatrae non longo spatio ab eius castris distabant. Ad eum Pompeius
34 misit, ut pro hospitio atque amicitia patris Alexandria reciparetur atque
35 illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erant, confecto
36 legationis officio liberius cum militibus regis colloqui cooperunt eosque
37 hortari, ut suum officium Pompeio praestarent, neve eius fortunam
38 despicerent. In hoc erant numero complures Pompei milites, quos ex eius
39 exercitu acceptos in Syria Gabinius Alexandriam traduxerat belloque
40 confecto apud Ptolomaeum, patrem pueri, reliquerat.

41 [104] His tum cognitis rebus amici regis, qui propter aetatem eius in
42 procuratione erant regni, sive timore adducti, ut postea praedicabant,
43 sollicitato exercitu regio ne Pompeius Alexandriam Aegyptumque
44 occuparet, sive despecta eius fortuna, ut plerumque in calamitate ex amicis
45 inimici exsistunt, his, qui erant ab eo missi, palam liberaliter responderunt
46 eumque ad regem venire iusserunt; ipsi clam consilio inito Achillam,
47 praefectum regium, singulari hominem audacia, et L. Septinium,
48 tribunum militum, ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his
49 liberaliter ipse appellatus et quadam notitia Septimii productus, quod
50 bello praedonum apud eum ordinem duxerat, naviculam parvulam
51 concendit cum paucis suis: ibi ab Achilla et Septimio interficitur. Item L.
52 Lentulus comprehenditur ab rege et in custodia necatur.